



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. XXXIV. De vehiculis admiratione dignis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

De vehiculis admiratione dignis.

Currus ignei Elia & Simonis Magi. Arnobius emendatur. Currus alati, cum velis, ac sine equis incedentes. Indicantes via longitudinem, & numerum horarum. Vmbrae semper facientes. Capitolini locus expenditur. Salmasius rejicitur. Vertigo. Exquisita sedilia. Capitolinus corrigitur. Currus minimi ex ebore, aere, marmore. Plinij lectio vetus defensa. Marmorea quadriga Claudiani contra Barthium explicata. Currus ex vitro. Ex argilla miraculosus. Festus emendatur. Currus ex ferro libere pendens in aere. Currus ad excitandas pluvias.

Is quæ hucusq; tradidi, addam aliquid de vehiculis miraculosis. Nam & talia inveniuntur in antiquis monumentis. Nullum autem est, quod dignitate superet vehiculum, quo vectum olim legimus Eliam Prophetam in ipsos quoq; cælos. Totum enim, quantum fuit, flagrabat ignibus, & coruscabat flammis. Auctor lib. IV. Reg. c. 2. *Quumq; pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce, currus igneus, & equi ignei dividerunt utrumq;, & ascendit Elias per turbinem in cælum.* Currum huncce tam stupendum, solaq; virtute divina fabricatum, imitari aultus est per æmulationem improbam Simon magus, sed successu infelici, quando Petrus Apostolus omnem ejus perdidit structuram, ipsumq; Simonem ex aëre dejecit. Hinc Arnobius lib. II. *Viderant enim currum Simonis magi, & quadrigas igneas, Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse,* Ubi forte legi debet, *Petri ore difflatas, sed nominato Christo, evanuisse.* Itanamq; illud sed eleganter usurpari, jam ad Phædrum nostrum lib. 4. c. 17. demonstravimus. Currus igneos alioqui circa se custodiæ causa habuit & Propheta Eliseus, de quo in prædicto libro Regum capite 6. ita legimus: *Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce, mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisei.* Currum alatum vidit Ezechiel Propheta tractum ab animalibus quatuor alatis modo euntem, modo subvolantem in al-

tum, cui Deus ipse insidebat. Describitur latissime in libro ejus cap. i. Cæterum respectu ejus à Platone Jovi quoque currum alatum tributum, censuit Justinus Martyr in Cohort. ad Græcos. Num, inquit, aliunde institutus Plato, quam ex Prophetarum lectione historiarum volucris Iovem in cælo currum vehi affirmat? Vidit ille in Prophetæ responsis de Cherubim dictum illud: & exiit à domo gloria Domini, & ascendit super Cherubim, & elevarunt Cherubim alas suas, & rota cum eis, & gloria Dei Israelis erat super eos. Aliter res sese habuit cum curru Triptolemi, quem alatum (ἀρμα πτερωτόν) vocat Aristides in Or. Pan. & Pelopis, qui alatos equos dicitur habuisse jūctos. Nam de altero Philochorus, de altero Palæphatus testantur, quod sint vecti navibus, quemadmodum jam pridem docui in libris de Militia & Re Navali. Quare potiori jure currus alatos diceremus, quos ætate nostra invenit in Batavis Stevinus, nullis tractos equis, sed velorum opæ incedentes, quorum unus spacio dua um horarum milliaria quatuordecim Hollandica valuit conficere. Descripsit eos Baudius eleganti carmine, & Hugo Grotius epigrammate non uno. Ecce tibi aliquid:

*Qui Scyllam veterem, & Lyciæ portenta Chimera,
 Quisq; Ixionidas, Semivirumq; bovem
 Vera negas; posthac ne sis incredulus, istud
 Materia Divum cerne biformis opus.
 Cerne sinus, axem, capsum, carchesia, clavum,
 Absida, paxillum, stamina, rostra, foros,
 Flamineq; antennam stringi, sufflamine currum,
 Seg; ratem cælo ferre, rotamq; solo.*

Memini me videre olim apud eosdem Batavos currum, cujus rotæ circumagebantur machina peculiari per virum in eo sedentem, qui simuliter ejus dirigebat quoquo vellet, absq; equis ullove alio præsidio. Sed hi quidem lusus sunt ingenij humani, neque usum habent aliquem in communi vita. Memorat Vitruvius vehiculum singulari structum arte, ut cognosci possit, quantum itineris per id sit:

fit confectum quovis tempore. Verba, quia longiora sunt, non exscribimus & legi possunt apud ipsum lib. X. cap. 14. Quanquam pridem antequam Vitruvium delineaverit Heron in Dioptrici prop. 28. ubi ὄργανα ὀδομέτρον nuncupavit. Usurpavit autem Commodus Imperator, uti, testis est Capitolinus in vita Pertinacis c. 8. Locus est notabilis, nam & alia vehicula rariora docet: Ita vero habet: *Nec non vehicula arte fabricæ nova, perplexis diversisq; rotarum orbibus, & exquisitis sedilibus, nunc ad solem declinandum, nunc ad spiritus opportunitatem per vertiginem: & alia iter metientia horasq; monstrantia.* Quibus verbis manifeste docet habuisse, quibus iter poterat metiri. Erant ei quoque, quibus monstrabantur horæ, sive illa ipsa, sive alia. Deniq; quibus Solis evitari radij, auræq; undecunq; veniret, captari poterat. Quod quidem fiebat *per vertiginem*, id est, ut Salmasius exponit, *per versatilitatem, quia ita apta vertebrae & verticulis erant, ut nunc in partem, qua Sol esset, versari, nunc in aliam unde aura veniret, facile possent.* Quanquam mea sententia illud *per vertiginem* non ad ista præcedentia, sed subsequenta potius pertineat, cohæreantq; inter se, *vehicula perplexis diversisq; rotarum orbibus monstrantia horas, & metientia iter per vertiginem;* ut *per vertiginem* sit, dum illi orbis rotarum vertuntur. Sic enim fiebat in ejusmodi vehiculis, ut ex Vitruvio cognoscimus. Habebat rotas plures, quarum conversione ac circumactione longitudo viæ indicabatur, plane ut in nostris fit automatis. Neque aliter est sentiendum de significatione horarum. At vero umbrae & auræ habebantur non per vertiginem, sed exquisitis sedilibus, hoc est, ita factis, ut pro ratione Solis auræve possent mutari. Atq; sic Capitolini verba ita debent distingui, --- *nunc ad spiritus opportunitatem; Per vertiginem & alia iter metientia horasque monstrantia:* Ut illud *per vertiginem & alia* sint connexa, eaq; *alia* de indicibus, ut lapillis decidentibus, quos Vitruvius commemorat, vel similia accipiantur. Præter istos currus digni admiratione illi Myrmecidis, de quibus Ælianus noster: *Τέτραπαι ἐποίησαν ἐπὶ μύρας καλυπτόμενα.* Plinius lib. VII. cap. 21. de iisdem ita loquitur: *Myrmecides in eodem*

genere inclaruit, è quo quadrigam ex eadem materia, quam musca integeret alis, fabricatam M. Varro retulit. Per materiam eandem intelligit ebur, unde & Callicratitas, de quo præcessit, opera sua faciebat. Similes, sed tamen aliæ, fuerunt quadrigæ Theodori, de quibus idem Plinius lib. XXXIII. cap. 8. *Dextra limam tenet, leva tribus digitis quadrigulam tenet, translata Præneste, tantæ parvitatæ, ut totam eam currumque & aurigam integeret alis simul facta musca.* Hæ quadrigæ fuerunt æreæ, quod constat ex capite toto, cum Myrmecidis essent eburneæ. Myrmecidis tegi alis muscæ ejusque veræ poterant, Theodori tegebantur, verum ejus, quæ & ipsa fuit ærea. Fecit rursus alias quadrigas ante dictus Myrmecides ex marmore. Plinius lib. xxxvi. cap. 5. *Sunt & in parvis marmoreis famam consecuti Myrmecides, cujus quadrigam cum agitatore cooperuit alis musca.* Hermolaus Barbarus pro marmoreis substituit eboreis, quia Plinius de talibus in præcedentibus. Sed obstat primum constans codicum omnium lectio. Deinde argumentum capitæ totius, in quo nihil de eburneis, tantum de marmoreis operibus. Ex quo sequitur, duplices fecisse quadrigulas, alias ex ebore, alias ex marmore. Marmoreas quadrigas memorat & Claudianus, admodum mirabiles profectò, si fuerunt tales, quales Barthius existimat. Putat enim sic fuisse sculptas, ut decidere & redire in currum agitator posset. Verba ejus extant lib. xiv. Advers. cap. 20. *Epigramma hoc scriptum est in quadrigam convertilem, cujus membra versa reddiderunt effigiem aurigæ insidentis currui, versa denudò, currum aurigæ incumbentem, equos, axes, virum currumque, omnia ex una materia vertibilia.* Adde cætera. Epigramma habet ita:

*Quis dedit innumeros uno de marmore vultus?
Surgit in aurigam currus, paribusque lupatis
Vnanimès franantur equi. Quos forma diremit,*

Materies

*Materies cognata tenet, discrimine nullo.
 Vir redit in currum: Ducuntur ab axe jugales:
 Ex alio se quisque facit. Quæ tantæ potestas?
 Una flex tot membra ligat, ductusque per artem
 Mons patiens ferri varios mutatur in artus.*

In hoc epigrammate nos quidem invenimus nihil, quod interpretationi Barthianæ respondeat. Versionis ejus, quam commemorat, nullum hic indicium, nulla plane mentio. Quia omnia ex uno lapide confecta erant, Poëtæ ansam scribendi epigrammatis præbuere. Hoc est, quod ait, *surgit in aurigam currus*. Nam id ipsum marmor, quod in currus speciem fuit formatum, continuum, nec interruptum, præbuit materiam formando aurigæ, quæ currui insitebat. Bene ergo, *surgit*, quia supra currum auriga stetit. Mox tamen, *redit in currum*, quia, ex quo marmore fuit auriga, ex eodem currus, ut, sicut currus in aurigam surgeret, sic auriga in currum rediret. Sed & ab axe ducti sunt jugales, quia illa parte cohærebant currui, cætera liberi & soluti. Erat autem necesse, ut una parte cohærent, quoniam ex uno marmoris frusto fuerunt facti. Hinc est, quod subdit, *una flex tot membra ligat*. Barthius illud, *surgit in aurigam currus*, ita explicat: *Qui ante incedebat velut, ex curru fit currui imminens auriga. Tortilis & mutabilis in varios vultus machina ex curru pariebat aurigam, ex auriga denuò currum*. Quæ ut sint ingeniosa, ita nihil faciunt ad intellectum hujus epigrammatis, quemadmodum opinor. Currus admiratione dignos ex vitro memorat Cardanus, lib. X. de Var. Rer. cap. ult. *Hic, ait, artifex adeò subtiliter è vitro cuncta elaborabat, ut quandoque currum cum bobus fabricaverit, qui sub muscæ alâ continerentur*. Ad do his quadrigas fictiles, quas apud Thuscos memorant crevisse in fornace, cum coqvendæ essent, adeò, ut fornacis partem superiorem perumperent, ut ostendit pluribus in vita
 Publicolæ.

Publicolæ Plutarchus. Festus in *Ratumena* voce : *Quadrigas fictiles faciendas locaverant Romani Veienti cuidam , artis figulinae prudenti. Quæ bello sunt recuperata , quia in fornace adeo creverant , ut eximi nequirent. Idque prodigium portendere videbatur , in qua civitate ea fuissent , omnium eam futuram potentissimam. Sic distingvo ista. Postrema docent , quare has quadrigas inter ea septem numeraverint Romani , quibus salus civitatis atq; incolumitas inniteretur. Servius ad *Æn. vii.* ubi de ancilibus agitur : *Septem fuerunt paria , quæ imperium Romanum tenent : Acus Matris Deum , quadriga fictilis Veiorum , cineres Orestis , sceptrum Priami , velum Iliæ , Palladium , Ancilia.* Legimus & quadrigas ferreas liberè pendulas in templo Serapidis , virtute magnetis camerae affixi. Prosper Aquitanicus lib. III. de Promiss. Dei , cap. 38. *Apud Alexandriam in templo Serapis hoc argumentum demonis fuit : Quadriga ferrea , nulla basi subfulta , nullis uncis infixis parietibus colligata , in aëre pendens , cunctis stuporem ac velut divinum subsidium oculis mortalium exhibebat. Quam tamen lapis magnes , qui ferrum sibi met attributum suspendit , eo loco camerae affixus , totam illam machinam sustentabat.* Fuerunt hæ quadrigæ Solis , quod collatione loci hujus cum Rufino constat , & jam Barthio significatum est. Currum memorat Antigonus in mirabilibus Narrationibus , quo pulsato pluvia exoriebatur Cranone , Thesaliæ urbe. *Inter sacra donaria , inquit , currum servant æreum , quem , ubi siccitas incidit , pulsant , & aquam à DEO poscunt , atque impetrant.**

o(2)